

riem interrogandi ac respondendi animaduer-
sam utriq; scite usurpare etiam in alijs parti-
bus doctrinae et eruditionis litterarum discant:
Et quia nulla alia forma orationis tam breuiter
& tam perspicue ac clare demonstrari eae res
quibus de reb. agitur, potuissent. Atq; hoc qui-
dem in libello introducitur discipulus, id est,
Cicero filius, interrogator, qui ex patre quae-
rat Latine, ea quorum praecpta antea Graeco
sermone percepisset. Quod facere non posset
nisi meminisset. Atque haec de forma orationis
breuiter dicenda putauimus. Fuit autem Cice-
roni singulari curae ut Graecorum inuenta &
tradita in linguam Latinam transferrētur, itaq;
ipse multa in philosophia de Graecis accepta
suo arbitrio interpretans explicuit. Et hoc in
libello artem rhetoricam secundum Graecorum
consuetudinem quasi pertexuit. Est autem hoc
praecipuum opus artis ut longe lateq; diffusa
atq; dissipata & uaga, eamq; ob rem incerta &
inexplorata, complectatur atq; colligat & ex-
planet. id tum fit cum partes enumerantur ac
disponuntur, ita enim corpus ipsum constitui-
tur, quod est aliud nihil nisi partium collocatio
atq; compositio. Nam nisi plura ita compræhen-
dat ratio atq; intelligentia, ut una quaedam ge-
neralis notio informetur, nisiq; singulorū mem-
bra ac partes depræhensae notaeq; sint, id quod